sequi Itaque non mortales dif-
ficilimum gloria inuidiam vin-
cere Nam dyabolus 19 satur
est Consideret igitur prudens
quam graue peccatum sibi inuidia que
sponte et expressa malicia in animo
concipitur Unde Tullius in philip-
pica ii hec inquit grauiora
sunt mala que animo concipiuntur
quam que corpore feruntur Miserior
igitur est qui in se suscipit scelus
quam qui alterius facinus suscipere co-
gitur Explicit liber secundus
sophilogij Incipit prologus
tercij libri sophilogij qui est
De quatuor statibus

Status omnis humanus
et ruinosus est nullo
quam iure status debet
vocari in rebus decli-
nioribus competit Omnes enim di-
uites et potentes olim qui flo-
ruerunt modico terre angulo con-
clusi sunt Itaque mors cunctis pom-
pis honoribus terminum imposuit
Quam obrem huic libro tercio
prologum proprium de morte premitto
Arbitror enim mortem fore specu-
lum quorumlibet statuum mundi Ita
qui se moriturum considerat si cel-
sus est minime gloriatur cernens
suo principatui cognotum fine preberi
Si pauper quis est tolleratie re-
medium mors ipsa prestat eo quod fa-
cilius dolore animus gerit que no-
uit breui cursu consumari efficietur
igitur processus non impedienti-
bus per capitula Capitulum primum

De Miseria et vanitate huius vite

Uite huius cursus
variis anxietatibus
fatigatur Itaque vi-
ta presens nil a-
liud videtur nisi mi-
seria breuis Unde
Job homo natus de muliere bre-
ui viuens tempore repletur multis mi-
seriis Et in prouerbijs sapientie
colligitur quod homo vite commodatus
est non donatus Lex enim vtilis
est que iubet nasci et mori
Itaque male viuunt qui semper
victuros putant se Nempe non
ex debito sed ex mutuo viuimus
Queso igitur ne quis dicat tot
vel tot annos habeo qui anni
tui non sunt ex quo mutuo ac-
cepisti Unde cuidam dicenti quod qua-
draginta annos habeo responsum
est Quadraginta annos quos me-
moras quos non habes quia
preterierunt et si essent non haberes
quia non possideres hec tangit
Seneca libro de naturalibus questionibus
Hii igitur sileant qui pro grandi
iuuentute de futuris annis glo-
riantur hii etiam sileant qui
de sua vetustate laudes sibi a-
scribunt mirandaque se vidisse
se iactant Nam isti de eo glo-
riantur quod omnino perierit
Iuuenes autem in eo sperant cuius
securitatem ignorant Unde
Ouidius libro primo sine titulo la-
bitur occulte fallitque volubilis
etas Et celer admissis labitur
amnis equis Et idem Ouidius
libro 3o de arte amandi

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/hs161/0184
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg